RELATIO FACTA IN CONSISTORIO SECRETO CORAM S.D.N. GREGORIO PAPA 15. A...

Francesco Maria Bourbon del Monte

Digitized by Google

RELATIO
FACTA IN CONSISTORIO SECRETO CORAM S.D.N. GREGORIO PAPA XV.

A FRANCISCO MARIA EPISCOPO PORTVENSI S.R.E. CARD. A MONTE

DIE XXIV. IANVARII M.DC.XXII.

SVPER VITA, SANCTITATE, actis Canonizationis, & miraculis

BEATI PHILIPPI NERII FLORENTINI
CONGREGATIONIS ORATORII FVNDATORIS.

ROMÆ, Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti.

Anno M.DC.XXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

BEATISSIME PATER.

NATVS eſt Beatus Philippus Nerius Florentiæ, ex honeſtis & catholicis parentibus. Et cùm iam inde ab ipſa pueritia egregia futuræ ſanctitatis præbuiſſet indicia, adoleſcens (Chriſtianæ perfectionis cupidus) relictis patria, & parentibus, ac contempta paterna, & auunculi ſatis opulenta hæreditate, Romam ſe contulit: vbi Philoſophiæ, ac ſacrarum litterarum ſtudia cum pietatis operibus, ac ſtudio Chriſtianæ perfectionis coniungens, breui temporis ſpatio ſanctitatis, ac doctrinæ plurimum aſſequutus eſt. Cùm verò ad quadrageſimum ferè ætatis annum perueniſſet, quamuis ſolitariæ vitæ deſiderio ſummopere teneretur; tamen iuſſu confeſſarij, eximiæ prudentiæ, & ſanctitatis viri, ſacris initiatus Ordinibus, audiendarum confeſſionum munus accepit. In quo ad vltimum vſque vitæ ſpiritum aſſiduè, atque exactè perſeuerans, innumeros è peccatorum ſordibus

ereptos ad piam, religioſamq. vitam, Domino adiuuante, traduxit. Charitate in Deum, & proximos fuit admirabilis; humilitate, patientia, manſuetudine mirificè excellebat. Abſtinentia fuit inſignis: virginitatem illibatam perpetuò ſeruauit; neque id ſolum, ſed etiam ſuauiſſimum pudicitiæ odorem, fætoremq. impudicorum hominum diuinitus ſentiebat. In dignoſcendis, promouendisq. ad chriſtianas virtutes hominum animis tanta erat peritia, & prudentia præditus, vt plerique etiam magnæ ſanctitatis, doctrinæ, & dignitatis viri ad eum, tanquam ad magiſtrum, & auctorem conſiliorum, ex omni parte confluerent. Prophetiæ dono adeò excelluit, vt fortè de alio non legantur ſimilia. Angelorum, Sanctorumq. apparitionibus frequenter recreabatur. Anno ante eius obitum, cùm acutiſſimis laterum doloribus premeretur in lectulo, adfuit ei Beatiſſima Virgo: cui cùm obuijs vlnis toto corpore in altũ elatus occurreret, confeſtim ſanus effectus eſt. Viuens ipſe plurimis apparuit, & periclitantibus opem tulit. Ægros innumeros in priſtinam corporis firmitatem reſtituit. mortui proximos à morte liberauit; mortuumq. ad vitam reuocauit. Ex quibus Beatus iſte, adhuc viuens, Romæ, foriſque fuit in magna ſanctitatis opinione; & in maxima ne dum exiſtimatione, ſed etiam, vt ita dicam,

vene-

Digitized by Google

veneratione apud homines, cuiuſuis conditionis, dignitatis, & ordinis; & apud ipſoſmet ſummos Pontifices, Cardinales, Reges, Principes, Prælatos, & Religioſos. Et demum omnium virtutum, & miraculorum ſplendore clarus, plenus dierum, octogeſimo ſuæ ætatis anno obdormiuit in Domino, vij. Cal. Iunias, anno 1595.

Statim audita morte, cùm eius corpus in eccleſiam delatum eſſet, vt exequiæ ei de more celebrarentur, omnium ordinum hominum ad illud venerandum concurſus factus eſt: qui maximo pietatis affectu eius manus deoſculabantur, corpus Roſarijs tangebant, roſas, ac flores, quibus corpus erat aſperſum, pietatis ergo auferebant; & partem aliquam veſtium, capillorum, aut aliorum huiuſmodi, vt apud ſe, velut reliquias, retinerent, habere contendebant. Quorum pietatem ac deuotionem voluit Deus etiam miraculis comprobare, & augere. Nam inter alios Auguſtinus Magiſtrius Romanus, & Margarita eius ſoror, qui ſtrumis diu laborauerant, ſanati ſunt ſtatim atque ad feretrum accedere potuerunt, & manum dicti Beati Philippi collo, vbi morbus inſidebat, admouerunt. Et eiuſmodi ſanitatum gratiam plures alij ex eiuſdem ſacri corporis contactu ſunt conſequuti. Fama verò ſanctitatis, & miraculorum huius Serui Dei adeo creuit, vt ſtatim dignus Canonizatione

Digitized by Google

acclamaretur; & multi viri graues de eius Canonizatione promouenda cogitarint; & apud fel.rec. Clementem VIII. Sanctitatis Veſtræ prædeceſſorem, hac de re egerint. Cuius auctoritate, viuæ vocis oraculo conceſſa, in Vrbe, & extra, ſtatim eodem ipſo anno 1595. fuerunt receptæ informationes, & facti proceſſus ſuper ipſius Serui Dei virtutibus, ſanctitate, & miraculis: & ſucceſſiuè coram Paulo Quinto recolendæ memoriæ, pro eadem Canonizatione inſteterunt Ludouicus Chriſtianiſſimus Galliæ, & Nauarræ Rex; Maria eiuſdem Chriſtianiſſimi Regis mater; Inclytus Senatus, Populuſq. Romanus; Ferdinandus Magnus Etruriæ Dux; & poſt eius obitum Coſmus eius filius: quo ex hac vita ſublato, Chriſtiana eius mater, & Magdalena coniux, Maximilianus vtriuſque Bauariæ Dux, Carolus Gonzaga Dux Niuernienſis, & Catharina Lotharingia eius vxor, necnon Congregatio Oratorij S. Mariæ in Vallicella de Vrbe.

Ad quorum preces idem Pontifex ſacræ Rituum Congregationi reſcripſit, vt de præfata ſanctitatis, & miraculorum fama in genere inquireret, & referret. Et habita deſuper relatione, inquiſitionem ſpecialem, & totam cauſam de menſe Iulij 1610. delegauit Franciſco Peniæ tunc Rotæ Decano, Horatio Lancellotto, & Dionyſio de Mar-

quemonte

Digitized by Google

quemonte eiuſdem Rotæ Auditoribus. Per quos Auditores, & ſuceſſiuè per Sanctitatem Veſtram, tunc ſimiliter eiuſdem Rotę Auditorem, in huiuſmodi cauſa in locum dicti Horatij Lancellotti ad Cardinalatus dignitatem promoti ſuffectum, hìc in Curia fuerunt recepti teſtes, & datæ remiſſorię: quarum vigore fuerunt examinati teſtes extra Curiam in diuerſis locis. ex quibus ne dum prænarrata omnia fuerunt legitimè probata, ſed etiam plenè conſtitit de continuatione famæ ſanctitatis, innumeris miraculis poſt ipſius Beati mortẽ comprobatæ. Nam Philippo ſtatim poſt obitum, & ſucceſſiuè tales honores delati ſunt, quales in Eccleſia Catholica Beatis tribuuntur. quin, & Beati nomine communiter vocatus eſt; in eius honorem anniuerſaria dies ſolemni pompa, ac populi frequentia, in eccleſijs tum Romæ, tum alibi celebrata eſt, & celebratur; fuerunt erectæ Capellæ, inſtitutæ Congregationes, depictæ imagines cum diademate; ad illius ſepulchrum habitus fuit, & habetur frequens vtriuſque ſexus Chriſti fidelium concurſus. qui, cùm varia obtinuerint, & in dies obtineant beneficia, miraculoſa eius interceſſione; ideo multa dona, ſigna, & votiuas tabellas detulerunt, & plura luminaria apposuerunt. & ſacellum, in quo eius corpus aſſeruatur, publicè & palam appellatur Sacellum Beati Philippi: & mi-

racula

Digitized by Google

racula plurima probantur ex proceſſibus; quorum pauca hic breuiter perſtringam.

Druſilla vxor Antonij Fantini præcipiti caſu ab alto ſuæ habitationis loco in atrium delapſa, capite, & alijs confracta membris, pro inſanabili, & moritura ob id iudicata; Serui Dei reiterata apparitione ſtatim ſanitati reſtituitur.

Ioſeph filius Ferdinandi Sermei, graui morbo oppreſſus, à medicis deſtitutus, & iam moribundus, ac agens animam; fruſtulo telæ ſanguine Serui Dei aſperſæ, ad illius cor appoſito, ſtatim ne dum ſanatur, ſed è lecto ſurgit, deambulat, comedit, & die ſequenti domo omnino ſanus, & conualidatus egreditur.

Fr. Io. Baptiſta Maſia Magiſter ſacræ Theologiæ, Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis de Redemptione, ætatis annorum 71. biennio tribus grauiſſimis infirmitatibus Neapoli iugiter oppreſſus, ſalute à medicis deſperata, ad Beati Philippi confugit opem. & voto nuncupato, per epiſtolam rogauit Fratrem Paulum eiuſdem Ordinis, Romæ degentem, vt in Capella dicti Beati ſacrum ipſius nomine faceret, Deumq. deprecaretur, vt interceſſione eiuſdem Serui ſui ſanitatem ſibi elargiri dignaretur. Eadem die, eadem ipſa hora, qua Frater Paulus Romæ in Capella prædicta Miſſam celebrat, Fr. Io. Baptiſta à prædictis tribus infirmi-

tati-

Digitized by Google

tatibus ſanatur; adeò vt confeſtim non ſolum è lecto ſurrexerit, ſed per Conuentum, & extra liberè deambulauerit. Qui etiam paulò poſt Romam petijt, ſacellum Beati inuiſit, ſacrum in eo celebrauit, & votum quod vouerat, reddidit.

Puer natus mortuus reſurrexit ad inuocationem Beati Phitippi factam ab obſtetrice, ſimul cum tactu eiuſdem Beati capillorum ad corpus mortuum.

Septimia Neria ſiniſtro oculo obcœcata ob grauem eius percuſſionem ferro ignito, ad eandem Beati Philippi inuocationem, & appoſitionem eiuſdem reliquiarum ad oculum, ſtatim ſanatur.

Anno 1601. quo tempore Nerus de Nerijs Sacellum in honorem Beati Philippi Romæ ſumptu magnifico extruebat, accidit vt eius filius Philippus, quem paulo ante (anno ſcilicet 1598.) dicti Beati interceſſione impetrarat, eique, deuotionis cauſa, Philippi nomen impoſuerat; puſtulis, ac febri ita grauiter ægrotaret, vt iam efflaturus animam videretur. Et dum pater in vicinum cubiculum ſecedit, ne morientem filium cerneret; &, dolore victus, piè conquereretur cum B. Philippo: ex improuiſo ſe à moribundo infante euocari ſenſit. cui puer dixit, auum (ſic enim dictum Beatum appellabat) ſibi caput contrectaſſe, ac morbum

abſtu-

Digitized by Google

abſtuliſſe. Cuius rei veritatem exitus comprobauit. Nam, cùm non multò poſt ſanies plurima ex pueri aure efflueret, manifeſtè apparuit diſruptum apoſtema, quod in capite habebat, vbi ab auo ſe tactum affirmabat. vnde puer ſanus remanſit.

Ex quibus, & alijs pluribus in proceſſu probatis, ad præfatam Sanctitatis Veſtræ relationem plenè etiam diſcuſſam, & approbatam à ſacra Rituum Congregatione; præfatus Paulus Quintus de anno 1615. conceſſit, vt dum cauſa Canonizationis ad exitum, qui tunc optabatur, feliciter perduceretur, poſſet de ipſo Seruo Dei Philippo, tanquam de Beato, Officium celebrari. Poſt obitum Pauli placuit Altiſſimo Sanctitatem Veſtram ad ſupremum faſtigium Pontificiæ dignitatis aſſumi; cui, ob eximiam pietatem, & magnam in hunc Beatum virum deuotionem, reſeruauerat Deus actum Canonizationis huiuſmodi: vt qui cauſam Rotæ Auditor maximo labore egerat, & Cardinalis ſumma pietate promouerat; Pontifex ad optatum finem perduceret. Renouatis pro Canonizatione inſtantijs, placuit Sanctitati Veſtræ relationem præfatam ad ſacram Rituum Congregationem remittere, iubendo nos de tota hac cauſa iterum cognoſcere, vt poſſet ad vlteriora procedi.

Nos autem frequenter congregati, quo decebat

ſtudio,

Digitized by Google

ſtudio, & diligentia, negotium examinauimus: omneſq. vnanimes in eam iuimus ſententiam: videlicet, ſufficienter conſtare de validitate proceſſus, de ſanctitate vitæ, & de miraculis tam in vita, quàm poſt mortem Beati Philippi; & poſſe Sanctitatem Veſtram, ſi ei placuerit, canonico, & legitimo ritu hunc Seruum Dei inter Sanctos referre.

Hæc ſunt, Beatiſſime Pater, quæ Veſtræ Beatitudinis iuſſu coram ampliſſimo ſacro Senatu de Beati Philippi ſanctitate, & miraculis, & totius cauſæ ſtatu, maiori, qua potui breuitate recenſenda exiſtimaui.

Digitized by Google

Digitized by Google